

media regionis medias inter vtrūq; mundi polū, vt sub *Æquinoctiali*, ob caloris abundantiam, quam perpetua solis præsentia ibidem efficit, constringi; & viceuersa partes *Supremæ*, & *infima* regionis circa mundi polos restringi, partes vero earundem medias inter vtrumq; polum dilatari. Quod quidem clare ex figura apposita elicere potes; In qua etiam situm, & ordinem elementorum contueberis.

CIRCA elementarem vero regionem *ætherea* regio lucida, ab omni variatione, sua immutabili essentia immunis existens, motu continuo circulariter incedit; Et hæc a philosophis quinta nuncupatur essentia.

COMMENTARIUS

POSTquam egit auctor de forma regionis elementaris, aggrreditur disputationem de forma *æthereæ* regionis, Cuius quinque illustres proprietates in principio assert, quibus a regione elementari separatur, ac disiungitur. Prima est, quod sit circa elementarē regionē; Qua in re comparatur cum elementari, tanquam continens cum contento, diciturque locus totius elementaris regionis: Omnis autem locus quo superior, eo etiam nobilior a philosophis creditur, corpusque in eo existens, præstantius, quia a corruptibilibus hisce inferioribus magis remouetur, & diuinis illis orbium motoribus optima, & felicissima semper vita fruētibus propinquius, atque vicinius existit. Secunda proprietates est, quod sit lucida, qua longe superat elementarem regionem. Lux enim multo nobilior est proprietatibus elementorum; hæc namque actiue sunt, & passiue, inuicemque contrariæ. adeo vt mutua earum pugna res hæc inferiores omnes ad interitum, & corruptionem deducantur: Lux vero omnis contrarij expers cunctis hisce inferioribus vitam, Esse, ac durationem influit. Accedit etiam, quod lux est obiectum sensus nobilissimi, puta *Visus*: Et circa illam tota vna scientia *Mathematica*; eaque pulcherrima, nempe *Perspectiua*, est occupata. Tertia proprietates est, quod *ætherea* regio careat omni motu substantiam eius variante. *Ætherea* namque regio, siue *caelestis*, nec alterari, nec augeri, diminuiue, nec generari, corrumpiue potest, cuius oppositum supra de elementis asseruimus, quoniam hæc in perpe-